

IN  
GANGRÆNAM SCROTI  
OBSERVATIO,  
ANIMADVERSIONIBUS NONNULLIS  
ILLUSTRATA,

---

QUAM,  
VENIA EXPER. FACULT. MEDICÆ,

PRÆSIDE  
*ADOLPHO MURRAY,*

M. D. ANAT. ET CHIR. PROFESSORE R. ET O.

PRO GRADU DOCTORIS

EXAMINI DEFERT

*Josephus Gustavi Pipping,*

FENNO,

IN AUDIT. GUST. MAJOR. D. VIII OCTOB. MDCCLXXXIII.

H. A. ET P. M. S.

---

UPSALIÆ,  
APUD DIRECT. JOHAN. EDMAN, REG. ACAD. TYPOGR.

IN  
GANGRÆNAM SCROTI OBSERVATIO,  
ANIMADVERSIONIBUS NONNULLIS  
ILLUSTRATA.

---

HISTORIA MORBI.

**E**RICUS B\*\*\*\*, qui anno ætatis obiit sexagesimo quarto, & ultimo vitæ spatio nationis S - - - - - cæ fuit famulus, habitum corporis, natura minus robustum, pravo vivendi genere debilitaverat. Humores itaque, dum nautam ageret, partim alimento parum apto & frigore, partim usu spirituosorum minus ordinato corrupti, adfectus rheumaticos, passim & arthriticos, atque per vi-ces etiam scorbuticos attraxerant. Hæ autem ægritudines eum a perverso vitæ instituto non absterruerunt, sed, manu ejus per globulum explosum læsa, quæstui jam nautico ineptus, & plus otii nactus, vitam minus sobriam continuavit; unde corruptis antea humoribus vis addeba-tur major. Hinc, lecto passim graviore detentus arthri-tide, artus intumescere sentiebat, corpus emaciari, ac summa tandem affici debilitate, quam spirituosus tantum mitigandam putabat. Anno 1771 doloribus arthriticis, pedes maxime infestantibus, scorbutus sese admisce-bat. Gingivæ cum palato extumescentes ad minimum attactum plurimum fundebant sanguinis atque interdum foetore intolerabili putrescebant; artus rigeabant omnes, & inferiores etiam, maculis notati lividis, tume-bant. A verno tempore ad autumnum jam exeuntem morbidus hic status duravit, sed sanitas, aptis remediis de-

A de.

demum restituta, ob diætam vitiosam, difficilioris erat constantiæ. Bis enim quotannis arthritico prosternebatur morbo, quem tamen conveniens semper medela mitigabat.

His tandem malis plane liberatum, pustulis per totum corpus, maxime vero per manus, brachia & abdomen suppurantibus, scabies humida infestabat. Manus simul adeo tumescebant, ut digitos flectere nequaquam posset. Ceterum, jam levius, jam acerbius scabies cum continuo pruritu adfligebat. Remedia huic morbo non quidem multa opponebat, & quæ etiam tentabat, parum adferebant levamenti. Biennium sic transigebat, pruritu in primis maxime adflictus. Ad leniendum vero illum manus in aquam frigidam per dies singulos sæpius immisit, eo successu, ut non solum, mitigato æstu & arefcentibus pustulis, prurigo, vix antea tolerabilis, sopiretur, verum etiam scabies humida in siccam, squamis aridis copiose decidentibus, commutaretur. Continuata nihilominus lavatione, cutis adeo pura atque nitida evadebat, ut exeunte anno 1781 nulla in toto corpore scabiei remanerent vestigia, nec, præter gravitatem ac debilitatem quandam singularem corporis, inde veluti originem ducentem, ulla sentiret incommoda æger.

Verum correctâ hac valetudine non diutius, quam ad tempus Paschatos sequentis anni frui licuit. Ingravescente nempe sensim hebetudine corporis, ex improvise vehementi corripiebatur frigore febrili, cui per duodecim horas duranti, æstus succedebat compar, summo hunc subsequente virium defectu. Altero die febris quidem fervore suo aliquantum remittere videbatur, non vero prius deflagravit, quam materia irritans, quæ, in motum ducta, febrem concitaverat, metastatice ad certum quendam locum dejiceretur. Præterlapsis enim tribus diebus scrotum intumescere ac rubescere coepit, & quantum

tum hic tumor crescebat, tantum febris lenior sentiebatur. Sed quarto jam die, tumor non diutius increfcens, ad radicem & latera penis, pariter ac rubedo, fubfiftebat. Heic cutis etiam exulcerari, fuppurare atque lineam quaſi ſeparationis inter ſcrotum, jam ſenſu prorfus deſtitutum, & cutem ſanam circumjacentem efficere occcepit. Suppuratio ſingulis augebatur horis & exulceratio profundius penetrabat, quamvis latius non ſerperet. Quarto inde nycthemero pus tam effuſe manabat, ut ſæpius per diem arida ſubſtituere & circumponere lintea neceſſum haberet æger. Hoc autem ſymptomate perturbatus, CEL. D. PRÆSIDEM accerſivit, qui languidum & emaciatum inveniebat, feбри continua, pulſu parvo & ſudore nocturno adſiſctum. Adfuit etiam cibi faſtidium, licet cruditarum in primis viis nulla comparerent indicia. Linea ſeparationis inter cutem ſanam & mortuam ab ingvine pollicis ſpatio infra annulum profecta, ad plicam inter ſcrotum & femur descendebat, atque inde trans perinæum, ad alterum femur, atque infra penem, ad alterum latus perrexit. Ambitus igitur totus ſcroti plane correptus erat, cum partibus lateralibus peni vicinis & funiculis ex parte etiam ſpermaticis. Suppuratio, quæ copioſa fuit, benignior videbatur. Scrotum, ſenſu carens, colore livido, rugoſum, collapſum, aridum, teſticulos tumentes, maximo ad contactum doloris ſenſu adfectos, continebat.

Exigua licet ſpes plenæ reſtitutionis in corpore tot malis vexato refulgeret, conſultum tamen videbatur, fractas nimium augere & conſervare vires & gangrænæ ad teſtes, dudum tumentes, ulteriorem impedire progreſſum. Utrumque hoc pulvere Peruviano impetrandum ſperabatur. Sed, ob tenues ægroti facultates, interne tantum corticis peruviani uncia dimidia porrigebatur, atque ſomenta calida ex decoctis herbarum amarificantium ſaturatiſſimis,

mis, admixto spiritu camphorato & pauxillo salis ammoniaci, parata, loco imponebantur adfecto, atque frigefacta, rursus calore reddito, diligenter applicabantur. Post quatrimum scrotum pileoli instar totum decidebat, & testes tumidi, sed tunica vaginali, alba & nitente obducti, adfectum dabant mirabilem, cum septum etiam scroti ad radicem usque penis esset destructum. Mitescebat interea febris, pulsu altiore & pleniore, viresque augebantur. Lætior inde spes adfulsit, præsertim cum alimentis corroborantibus & propinato paulatim vino, ciborum rediret adpetitus. Ulcus tamen per octo dies nullam subibat mutationem. Margines purulenti erant, e superficie tunicæ vaginalis caro granulosa non efflorescebat, testesque admodum tensi, magnitudinem ovorum gallinæ minorum servabant. Tensio tamen, cum annexa sensibilitate, paulatim remisit, pus tamen bonum malignam jam recipere videbatur indolem, tenue nempe, fuscum malique odoris evadens. Curis adjacens flaccida erat, ac pallida. Cum vero unguentum de styrace & alia ex pingvamine præparata ægri statum aperte reddebant deteriorem, ad vim vitalem in vasis harum partium adfectis animandam, tota ulceris superficies pulvere ex corticis Peruviani uncia una, Myrrhæ drachmis duabus, & Camphoræ drachma una parato, conspergebatur, superinjectis linteis in decocto antiseptico tinctis, & suspensorio denique admoto. Variationis causa linteæ carpta, ungv. digestivo, ex therebinthina & vitello ovi composito, atque jam oleo ceræ, jam tinctura aloës aucto, illita, marginibus ulceris admovebantur. Sed vis illa vitalis, ulceribus sanandis tantopere necessaria, non facile reditura videbatur. Testes enim pallidi & labia ulceris flaccida, neque subjacenti carni adfixa permanebant. Aliam etiam postea minus lætam induebant faciem, dum sese elevarent, turgescerent & nitentia versus interiora inflecterentur. Et jam neque digestiva, neque

que antiseptica, neque scarificationes crebrius institutæ indolem ulceris ichorosam emendare & labiorum durtiem emollire valebant. Interim corrigendis prudenti diæta & cortice Chinæ humoribus dabatur opera, continuato simul recto remediorum externorum usu.

Frustra diu expectata ulceris meliori indole, labia ejus inversa magis magisque ad se invicem appropinquare & ambitum ulceris coarctari non sine admiratione animadversum fuit. Margines quidem, post repetitas sæpius scarificationes, eandem servabant indolem, duriores tamen non fiebant, nec majores. Jam vero colorem album tunica vaginalis in rubicundiolem mutabat, inflammationem veluti conciperet; sed antequam caro nova ex superficie ejus effloresceret, cutis ita aucta cernebatur, ut testes tegerentur, qui, solita celeriter magnitudine & mollitie resumta, in novo demum sacco, cuti minime adherentes, pendebant. Cutis, continue ex toto ulceris ambitu excrescens, figuram ulceri transverse ovalem in scroto dederat, & octava demum hebdomade, plaga, quæ adeo magna fuerat, trium tantum pollicum longitudinem & latitudinem unius habebat. Margines tamen parem retinebant indolem & pus minus bonum largiebantur. Ad finem tandem hebdomadis decimæ labia ulceris splendescencia & inversa, jamque contigua prorsus, coibant, longiuscula & nodosa cicatrice relicta. Scrotum vero hoc regeneratum solito fuit aliquanto minus, sed, sublata omni post aliquod tempus sine artis subsidio cicatricis durtie & inæqualitate, ordinariam recepit mollitiem, laxitatem & structuram.

Scabies, quæ ante hunc morbum adfuerat, non quidem rediit, sed cutis tamen, tuberculis exasperata, squamas copiose mittebat. Ceterum, sanitate recuperata, vir quotidie sua peragere valuit negotia.

Refectis viribus, ad solitam diætam, valetudini noxiam, reversus, vere insequente in febrem vernalem remittentem, quæ tum epidemice grassabatur, incidit, atque octava morbi die vitam ærumnosam finivit.

ANIMADVERSIONES IN PRIOREM CASUM.

§. I.

Quamvis partes genitales viriles ea ratione sint contextæ, ut earum læsiones maximo jungantur periculo, in primis autem abundans telæ cellularis & membranarum tenacium earundem copia, vasa innumera, singulari hic modo constructa, & nervi, (qui heic, ob singularem mollitiem & finem, haud procul existentem, insigniori sunt præditi sensibilitate) occasionem præbeant verendi, ne læsiones, quæ per se minoris momenti judicari possent, hoc loco sæpe fiant lethiferæ: admirabundi has tamen haud raro sine jactura vitæ gravissime fuisse læsas, atque etiam brevi tempore iterum sanatas, legimus. Ostendunt simul casus frequentius observati, non multo magis retardatam fuisse sanationem, si pars universa destructa, quam si particula tantum læsa fuerit; atque etiam evincunt, læsionem, si non cito, externa vi & instrumentis acutis, unde vulneratio benignioris plerumque indolis esse solet, sed lentius & per causam internam oborta fuerit, naturæ tamen & artis ope nonnumquam sanari. Id tamen concedere debemus, mala certarum in his membris particularum, aliis multo graviori jungi periculo. Sic læsiones & vulnerationes testium, quam mentulæ, epididymidis, quam carnis testium, membri & præcipue glandis atque urethræ, quam scroti, tum quoad symptomata inde ortum ducentia, tum quoad consecutaria, graviores esse, docet experientia.

Plures, impetu se digno, testes cultro, absciderunt.

Ti-

Tironem artis pistoriæ, ut caste viveret, sibi scrotum cum utroque testiculo, sed illæsa virga, uno ictu amputasse BONETUS *a)* memorat, & vulnus tamen intra tres septimanas fuisse consolidatum. Aliorum quoque narrationes adducit de temerariis ejusmodi operationibus, absque ullo artis præsidio institutis, sed quæ felicem habuerunt exitum; ut quando Caffri hostibus devictis & captivis genitalia abscindunt, aut suos pueris has partes naturales evellunt; cujus rei exempla HORSTIUS *b)* & SCHENKIUS *c)* exhibent. Nationes barbaras, Persas & Turcas, testes & scrotum cum virga interdum excindere, perhibent itineraria. Sutorem quendam, mente ex amore captum, ejusdem fuisse audaciæ refert Ill. Eques ab ACREL *d)*; qua narratione memoratu dignissima, ut & prioribus, non difficili convincimur negotio, vulnerationes hæc, etsi adeo graves & periculosas, absolute tamen lethales judicari non posse.

Sed ægritudines lentius exortas & tardius partem affectam consumentes, a quibus plus mali fuerat metuendum, etiam bono profligatas fuisse exitu, novimus. Testes sæpe abscessibus, qui suo tempore evacuantur, destructi, pravos non relinquunt effectus. Contunduntur iidem, graviter inflammantur, & inflammatio hæc sæpissime vel in gangrænam abit, vel etiam totam substantiam in scirrhum commutat; qui tamen iterum fuit artis adminiculo resolutus *e)*. Jam totus perit testis, jam pars tantum, reliquis salvis & ad sua obeunda munia idoneis. Tolluntur in testibus excrescentiæ, tollitur hydrocele,

apè-

*a)* Medicina Septent. Lib. III. de imo ventre, Sect. XXX. Cap. 10. p. 840.

*b)* Lib. I. Epist. med. Sect. XIX.

*c)* Exercitat. Anat. VIII pag. 646.

*d)* Chirurgiska händelser, pag. 339. Edit. 2:da.

*e)* BONETUS l. c. p. 842. Cap. VI, item Cap. VII.

aperiuntur testes, castrantur iidem, cancro adfecti & corrupti, atque aliæ similes instituuntur operationes, absque omni funesto exitu. Extirpantur in pene tumores, ob gangrænam cancrumve plus minus truncatur penis, scinditur urethra, variis & latissimis dissectionibus sub fistularum curatione interiora ejusdem denudantur, salva sæpius, si non forma & functione partis naturali, vita tamen ægrotantis.

## §. 2.

Sed memoria licet dignissimæ hæc omnes sint animadversiones, phænomenon tamen aliud, sub consolidatione harum partium obvium, quod magna pars perditæ substantiæ, etiam in gravioribus destructionibus refarciatur & veluti regeneretur, majorem mereri videtur admirationem. Est hæc occulta vis in corpore telæ cellulari & partibus inde exortis propria *f*). Si igitur pars corporis cavernosi urethræ, glans penis, ipsumque membrum destruitur, prolongari veluti videtur id quod sanum est, sed fauciatum, ut jacturam quodammodo compenset. Si veretrum cute plus minus denudatur, nova excrescit, qua partem nudam obtegit. Quin etiam, scroto penitus sublato, novus ad testes involvendos generatur sacculus, priori textura, mollitie, rugis & pilis perfecte similis. Differt hæc regeneratio a cicatricibus, quas extensa & prolongata potius efficit cutis circumjacens, ex massa tandem minus organica coalescens. Heic vero non cutis tantum, sed singularis etiam mollis atque tenera tela cellularis subjacens, quæ tunica darthos audit, renascitur.

## §. 3.

Scrotum frequentissime gangræna perditur, cujus pri-

*f*) KLINKOSCH de generat. cuticulæ. AD. MURRAY Programma in promot. med. 1780.

primus ortus hic plerumque a vitio quodam interno dependet, & quæ in tela cellulari, si laxa & spongiosa est, potissimum versatur; unde mirum non est, quod latius se diffundat, & limitibus ægrius possit includi. Cumque causa sæpissime occulta maneat, sed semper fere nimis operosa, eventus gravissimæ hujus læsionis eo crebrius solet esse luctuosus. Itaque rarior merito censetur casus, scroti regeneratio, plena subsequente ægri restitutione; simulque benignam naturæ monstrat operam, subsidio artis denegato, exhibitam, quæ tanto majorem movet admirationem, quanto gravior & malignior gangrænae existit causa. Observatio igitur a nobis allata notatu est dignissima; cui illustrandæ non parum inservient Casus, quos colligere licuit, analogi, qui plures gangrænae scrotum corripientis causas ostendunt, & vim naturæ reproductricem mirifice extollunt.

Scrotum per *hydropicam intumescenciam* gangræna correptum benigniori naturæ opera sæpe sanari, luculenta hæc docet FABRICII HILDANI observatio g). Vir quispiam ascite laborabat, cum summa scroti tumefactione, quam sphacelus tandem excepit. Adhibitis, quæ in tali casu prodesse solent, remediis, scrotum decidebat & testes nudi conspiciebantur. Ex ulcere tantum profluxit aquæ, ut hydrope liberaretur æger, atque ea per multos annos fruebatur sanitate, ut aliquot etiam liberorum pater existeret. Callosa vero quædam materia, loco scroti amissi, jam obtegebat testes, & violentiam arcebat externam. Memorat quoque Obs. 77 alium, qui ab obstructione viscerum asciten patiebatur, sed in quo, per criticam velut expulsionem, aqua in scroto collecta gangrænam efficiebat. Scrotum partim ope forcicis, partim sponte decidebat, ita ut testes, suo spoliati tegmine, aëris in-

B

ju-

g) Observat. & Curat. Chirurg. Cent. I. obs. 18. Basil. 1626.

juriis exponerentur. Aqua per ulcus e corpore demissa, sine mora deperdita pars nova cute resarciebatur. Ali-  
 bi *b)* asserit multos se vidisse sphacelo scroti adfectos, quorum tamen nemo convaluerit, dum genitales partes, ob raram, spongiosam & humoribus ebriam texturam ad putrefactionem quam maxime sint pronæ, atque ideo in cachexia corporis & labefactione viscerum pudenda in primis corripiantur.

Ejusdem indolis est observatio Cl. STALPART VAN DER VIEL *i)* in qua narrat, se senem vidisse hydrocele laborantem, accedente gangræna ad abdomen usque ex-  
 porrecta & testibus inde nudatis; sanitati vero dum aptis remediis restituebatur, nova cutis cum carnositate quadam, a membrana subcutanea abdominis exorta, testes sensim obtegere valebat. Novum hoc scrotum, pilis & rugis destitutum, testes tam arcte cohibuit, ut moveri intra non possent.

Illustrat quoque hoc argumentum narratio a Cl. ENGEL per Cel. SCHMUCKERT *k)* tradita. Militem hydrocele, caput infantis æquans, & enterocele adfligebat. Aquæ per acum tricuspitem exitus dabatur; sed intra annum pari quantitate adfuit, atque iterum educta est. Sequenti die, a frigore concepto, vehemens invasit ægrum colica cum cholera & æstus singularis scroti. Gravi enim, ad penem usque pertingente, obsessum erat inflammatione, quæ cito citius gangrænam adduxit. Per scarificationes profundas, fomentationes ex decocto chinæ, scordio cum sale ammoniaco, & emplastro nigro sulphurato, oleo hyperici mixto, marginibus adplicando, externa curatio instituebatur; interne vero decoctum chinæ cum vino rhe-

*b)* Ibidem Cent. V. obs. 77.

*i)* Observat. rarior. Cent. prior. p. 364.

*k)* Vermischte chirurgische Schriften, B. I. obs. 16.

rhenano propinabatur. Sistebatur hoc modo necrosis, toto jam scroto consumto, & destructæ separari incipiebant partes. Quum vero testiculi suis membranis essent denudati, & maculas dudum contraxissent, separationem naturæ soli committere minus consultum videbatur, sed scrotum usque ad corpora cavernosa penis cultro tollebatur. Testes ac penis plumaceolis, fomentatione priore madidis, velabantur. Et sic bona, post aliquot dies, insecta est suppuratio, quam sicca obligatio moderavit. Consolidatione etiam a lateribus & superficie testium orta, novum intra duos menses scrotum, priori simillimum formatum videbatur.

Scrotum *post febres*, velut *metastatice*, a materia febrili prehendi casus docent a Cl. JOSEPHO CAVALLINI DI CEVOLI 1) descripti, ubi non modo maculas memorat penis gangrænosas & destructiones cutis atque substantiæ penis, partim a causa venerea, ut in phimosi, partim ab aliis profectas; sed etiam sequentem, nostram illustrantem materiam, narrationem subministrat: Vir 50 annorum, febre remittente laborans, in Nosocomio Florentino fuit receptus. Hac vero propemodum conquiescente, in penem & scrotum dolor acutissimus & gravis inflammatio irruerant. Accessit gangræna circa penem & tumor erysipelatosus, scrotum occupans, enormem eidem addidit magnitudinem. In scroto, gangræna jam demortuo, dum medelam Cl. Auctor meditaretur, incisiones leviores instituebat & postmodum fomentationes antisepticas applicabat, quibus mortua caro cito decidit, ulcus fuit purgatum, & felicem demum recepit consolidationem. Similem huic alio loco adfert casum, ubi, gangræ noso delapso scroto, testes omni cellulosa membrana exspoliati

B 2

in-

1) Collezione istorica di casi chirurgici. Firenze 1762. Tom. I. pag 123. Obs. 56 & seqv. Obs. 60.

inveniebantur, etsi illæsi. Sanatio hæc quoque sine ullo incommodo residuo peracta fuit.

Post *febres exanthematicas & eruptiones cutaneas* scrotum etiam interdum necrosi infestatur; quod sequentia monstrant. Cl. FR. IGNAT. THIERMAYER *m*) puerum memorat quinquennem, cujus testiculorum folliculus a variolis copiose expulsis & vehementer pus eructantibus ita fuit exulceratus, ut, ulcere minus apte deligato, is gangræna prorsus destrueretur. Periculum erat, ne testes quoque illa consumeret, quod tamen curandi methodus prudenter adhibita impedivit. Deciduis scilicet partibus sphacelatis, testes, scroto quidem destituti, sed tunica cincti vaginali & sani inventi fuerunt & reliqua curatio adeo feliciter successit, ut novum puero scrotum crederet.

Cl. CHIZEAU *n*) puerum vidit quindecim annorum, qui variolis confluentibus scrotum habuit inflammatum, quod adplicatis emollientibus gangræna prorsus destruebatur. Sed novum ejus loco adeo celeriter succrevit, ut æger intra tres septimanas perfectam recuperaret sanitatem. Cicatrix a peripheria versus centrum processit, & penis tardius, quam testiculi nova reclus fuit cute.

KRAMPHER *o*) scrotum commemorat, post pruriginem ibi perceptam, sphacelo, velut crisi, adeo prehensum, ut scarificationibus & incisionibus institutis, penitus tandem compurruerit. Testes, quia illibati, relinquebantur, sed, decoctis antisepticis obligati, intra duas septimanas novo obtegebantur sacco. Æger, viribus perfecte restitutus, liberos postea generavit. Ad hunc casum noster forte proxime accedit.

Ne-

*m*) Consult. Lib. I. Cap. 3. p. 106.

*n*) Journal de Medecine par Mr. Roux A:o 1774, Tom. 41. Mens. Octobris.

*o*) BLANCARD Collect. Med. Phys. Cent. 3. obs. 75.

Nemo ignorat *virus venereum* indolem quasi cancerosam interdum induere, tumque sæpe mirum in modum depascere genitalia. Si inde originem duxit malum, nec verum canceri miasma, vel hoc priori immixtum partes destruxit *p*), spes omnino subest, fore, ut prudenti mercurialium usu nova cutis, læsionem sanatura, renascatur. Gangrænam hujus originis minime fere periculosam fuisse, licet latius divagata fuerit, experientia docuit.

Gangrænam scroti interdum etiam ab *aëre vitiato* ortum ducere, sequens ab Ill. Equite ACREL in nosocomio militari Argentoratensi, ubi Chirurghi munus in se susceperat, A:o 1742 facta, nobisque benigne communicata observatio testatur. A multitudine nempe ægrotantium, aërem mensibus Augusti & Septembris adeo corruptum vidit, ut, si cui vulnus quoddam inflictum esset, vel cujusdam bubo venereus aperiretur, aut vena secaretur, gangræna locum vulneratum mox occuparet; atque etiam loca vesicatoriis exulcerata gangræna infestarentur. Qui scroti laborarunt vitiis *p*\*) & præsertim inflammatione, eandem mox experti sunt tristissimam sortem, ita ut post aliquot dies illud decideret, atque testiculi nudi in aspectum venirent. Interjecto tamen aliquo tempore, & aëre interim repurgato, novus iterum egerminavit saccus, priori haud absimilis. Infantes sæpius gangræna scroti, acrimoniæ urinæ forte tribuenda, corripit, experientia edoctus, asserit. Minus tamen hanc esse periculosam, quoniam novum facilius regeneretur infantibus scrotum, autumat.

A *violencia externa* exortas gangrænas scroti narrant varii. Cl. BAURIENNE *q*) lanionem 45 annorum recenser, cui

B 3

*p*) DONALD MONRO Medical Transact. Vol. II.

*p*\*) Chirurg. handelf. pag. 341.

*q*) Journal de Medecine A:o 1764. T. 20. Mens. Mart.

cui bovis cornua duas insignes contusiones, os pubis inferiore & dextro latere usque ad perinæum, & superius atque interius finitri femoris latus lædentes, inflixerunt. Febris quarto die accessit, cum alvi obstructione pertinaci, ac tandem gangræna, quæ ad finistrum femur proserpsit. Exscindebatur quod adfectum erat, sed necrosis exorta, intra paucos dies ad ipsum scrotum sese extendens, illud ita etiam perdiderat, ut incisionibus ex vano tentatis, scroti & dextri testis extirpatio esset necessaria. Jam vero læsio mitiorem induebat indolem, atque novum testium operculum adeo celeriter excrevit, ut intra duos menses æger perfecte convaluerit. Minus quidem scrotum renatum erat priore, sed, exceptis pilis, nunquam iterum propullulantibus, eidem perfecte simile. Testis relictus cuti adhærebat.

LE RAULT *r*) similem adfert gangrænam assiduæ equitationi, per quam scrotum procul dubio nimis quassatum fuerat, unice tribuendam. Scena morbi gravi tumore, per biduum aliquo adhuc sensu prædito, incipiebat. Mox tamen periit sensatio & tertio die linea separationis dimidio a radice penis spatio pollicis adparuit. Quinto die scrotum in forma pileoli hauri difficulter, cum copioso admodum puris fluxu, tollebatur. Testes, dextro & mediastino scroti spoliati, intacti erant & naturalem servaverant magnitudinem. Jam vero, statu in exoptatiorem vergente, intra duos menses novum testium adcreverat operculum, pilis, rugis & futura intermedia præditum, sine ullo prioris læsionis vestigio. Citatur in hunc casum, sane memorabilem, Anglus quidam, non addito nomine, cui hydrocelen causticis curaturo, idem accidit.

Cl. TRECOURT *s*) sequentem nobis reliquit narrationem,

*r*) Ibidem A:o 1762, T. XVI. mens. Jun.

*s*) Memoires & observations de Chirurgie. 1769. p. 435.

nem, nostro argumento non uno nomine adfinem. Explosione cistæ, pulvere pyrio repletæ, vir 66 annorum percelleretur, ut non pluribus tantum locis corporis esset vulneratus, sed dimidium etiam scroti, a sinistra parte, præter laciniâs pauciores, easdemque contusas & mortificatas, dilaceratum. Testis etiam propemodum evulsus apparebat & funiculus quinque pollices infra scrotum extensus. Dum excisionem hujus meditabatur Chirurgus, quam ob sublatum scrotum necessariam judicaverat, sub aliquot dierum mora sensim testis reviviscere coepit, & scroto dein novo obduci. Adcretum quidem erat testiculo, sed de cetero ex omni parte completum.

Cl. ALIX *t*) post gravem contusionem in scroto vehementem inflammationem fuisse insecutam asserit, quæ, prorsus neglecta, in gangrænam abierat. Aptis adhibitis auxiliis bona promovebatur suppuratio, & separatis partibus adfectis, sanatio demum ope chinæ absolvebatur.

*Venenum viperarum* scrotum etiam corrumpere docet casus, quem Celeberrimo C. F. V. SCHULZENHEIM debemus. Rusticus viginti circiter annorum, sanus & robustus, qui in prato sub dio dormiverat, expergefactus, scrotum tumidum, turgidum atque dolens sensit. Causam hujus extumescentiæ æger quidem ignoravit, sed re attentius considerata, scrotum viperæ morfu sub somno læsum fuisse, non ex vano credebatur. Vir autem Cel. ægrum invisens, eundem debilitatum, violentissima febre correptum, & scrotum ejus valde tensum atque inflammatum invenit: quod etiam post aliquot dies, totum contabuit, sed aptis remediis, interjecto quinque septimanarum spatio, novo iterum fuit refartum.

Nonnullæ a Medicis conscriptæ observationes causas gangrænæ non referunt, sed exitum tantum ostendunt lætum.

Ta-

*t*) Observat. Chirurg. Fasc. I.

Talis est observatio MILLANDI a STEP. BLANCARD <sup>u)</sup> adnotata. Gangræna velociter increverat. Forfice scroto usque ad penem ablato, testes etiam ad anserini fere ovi magnitudinem tumefactos & vehementi putredine correptos, suis tamen adhuc vaginis inclusos viderat. Per fomentationes autem antisepticas gangrænæ ulterius incrementum impedivit, & felicem demum conscivit curationem.

JOH. BAPT. LAMZVEERDER <sup>v)</sup> duos refert sphacelo prehensos, quibus medicantes una cum scroto testiculos extirpare paraverunt, cui vero consilio se opposuit, eo quidem successu, ut æger uterque sine mutilatione ulla convaluerit. Sed hæc de exemplis analogis hætenus.

Ex allatis patet, Gangrænam scroti, & quidem ex causis variis ortam, a Medicis antiquo & recentiori ævo fuisse observatam: sed indolem ipsam gangrænæ, peculiaribus characteribus distingvendam, & rationem, qua natura defectum supplere allaboravit, casus supra allati non satis determinant.

#### §. 4.

Indoles & natura gangrænæ difficiliter non raro, quam credi potest, cognoscitur. Concedamus certis plane fundamentis niti gangrænæ omnis distinctionem in *siccam* & *humidam*. Notas certe discretivas satis evidentes posuere auctores, dum in hac, partis succositas non remaneat modo, sed etiam augeatur, unde œdematosa partis exoritur mollities; sed in illa constanter eadem decrescat, ut pars tandem similitudinem induat siccatae & fumo assatae carnis. In *humida*, mortificatio & sensationis abolitio citius, in *sicca* autem tardius augetur, quum in priore nervi citius, quam vasa suam videantur perde-  
re

<sup>u)</sup> Collect. Med.-Phys. Cent. I. obs. 3.

<sup>v)</sup> Obs. 28. pag. 250.

re vim vitalem; sed in altera vasorum motus & vis propulsiva omnium primo debilitetur atque exstingvatur, nervi autem longe posterius, nempe non nisi post insignia putrescentiæ partis indicia vim agendi amittant. Gangrænam siccam ideo interdum acutissimus comitatur dolor, qui rarius humida adfectos cruciat. Sed experientia teste signa enumerata admodum incerta apparent. Mortificatio partis generalissima videri posset gangrænæ nota; sed hanc minus stabili fundamento niti, docet apparens illa mortificatio, quæ interdum in membris algidis observatur. Actio scilicet organica certo gradu sopita existit, motus cessat, sensus est abolitus, continua membri adest rigiditas, licet colorem non mutet, caro, incisione facta, nullum mittit sanguinem, quamvis tenerior & macerata videatur: & vita nihilominus in partem adeo labefactatam revocari potest. Porro, ingruentibus licet insignioribus vitæ deficientis indicibus, non omnis tamen spes recuperandæ vitalitatis sufflaminata esse videtur, si observationem rarissimam Ill. DE HAEN x) in mentem revocamus. Hac scilicet demonstrare conatur, gangrænam citra ejus separationem curari posse. Per globulum explosum accepto vulnere, gangræna manum viri cujuscumque occupaverat. Livescebat pars illæsa, quam primum pulvis chinæ adfumebatur, & gangræna latius divagabatur; sed intra triduum livor disparuit omnis, cute, adipe, carne sanis, decocto corticis epoto, sine ulla separatione. Ter, quaterque eventu eodem repetiit experimentum.

## §. 5.

Atque, quod ad characterem specierum proprium attinet, novam adoptandam judicamus speciem, quam, utpote utriusque characteris participem & velut inter utram-

x) Ratio Medendi. T. 10. p. 233.

tramque positam, *mixtam* vocare licebit. Desideratur in hac mollities & fungositas, quæ in *humida* locum habet, sed neque pars adfecta ita exarescit, ut in vera *sicca*. Imminuta quidem deprehenditur vis oscillatoria vasorum, non vero prorsus sopita. Putrescentia in hac serius ingruit, quam in *humida*, sed citius tamen erumpere videtur, quam in *sicca*. Quod ad ortam, licet leviozem, intumescenciam circa locum gangræna correptum, quod ad sensum plane deficientem in loco, vel adfecto, vel adficiendo, & quod ad magis purulentam suppurationem, quæ exoritur, quando mortuum a vivo separatur, maxima inter hanc & humidam est affinitas. Quemadmodum vero in gangræna sicca præcedens linea rubra adventum ejus, aut incrementum denuntiat, ita etiam in *mixta* evenit. Nullæ heic in superficie epidermidis pustulæ formantur, ut in *humida*, sed ipsa cutis velut corrugatur & exsiccat. Æger interdum æstum & dolorem gravissimum, si non in loco adfecto, tamen circa illum queritur.

## §. 6.

Quod vero ad dolorem attinet ac phænomena, quæ nervos plus aut minus in hoc morbo pati testantur, tot ea præbent varietates, ut difficillimum dictu sit, an, quantum & quomodo in gangræna suborta, cujuscunque sit indolis, nervi potissimum sint affecti, & an ab eorum qualicunque læsione prima morbi stamina sint derivanda. Notum est, quod, si nervorum quorundam operationes efficaciter quocunque modo cohibentur, vel fluidi nervei influxus interrumpitur, pars nervis his oppressis ditata, gangræna cito corripitur. Si obstringitur insignis quidam nervorum truncus, effectus cito proditur. Si premitur medulla spinalis, aut quassatur vehementius, atque organismus inde aliqua ex parte turbatur, idem quoque erit eventus. In certis etiam casibus, a materia quadam

ner-

nervis adhærente, ut in malignitate humorum generali observamus, stupefcunt nervi, & veluti alterantur vimque vitalem perdunt; quo certo certius gangræna inducitur. Nam vasa hinc vim suam oscillatoriam amittunt, ut irruentes humores nec abducere, nec adducere amplius valeant. Gravedinem quandam & stuporem partis antea sentiunt ægri & omnia sub toto morbi curriculo obvenientia symptomata dilucide declarant, in stupefactione & torpore nervorum causam morbi omnino quærendam esse. In contusionibus violentis, ut in læsionibus per globulos explosos, accidit e. g. ut non modo locus læsus sensum amittat, sed stupor quidam membri latius diffundatur. Hic autem partem ad mortificationem disponit atque, pro dispari gradu, jam influxum humorum penitus præcludit, adeoque simul extumescentiam impedit, jam vero, effluxum impediens, eandem jugiter auget. Idem quoque interdum evenit, quando pravis nutrimentis humores sunt corrupti. Unde in uno subjecto ab hebetudine nervorum exoriri potest gangræna sicca, & in altero humida. Gangræna itaque sicca sine dolore præeunte nonnumquam oboritur.

Alio tempore nervi contrario prorsus modo corripiuntur: non sopitur scilicet, sed augetur quasi eorum vitalitas, vel rectius, materia quædam acris, quæ motum & vim propellentem arteriarum extinguere aut cohibere valuit, sed non statim eundem in nervis præstare potest effectum, eos tamen irritat, vellicat, lacerat: unde fit, ut antequam gangræna infestatur locus, atque omnes excluduntur humores, pluribus sæpe antea septimanis in parte gelida ardens oriatur dolor, cui vix quidquam excogitari possit simile. Hic etiam post gangrænae accessum durat, ac sæpe non ante extingvitur, quam putrefactio vim suam destructivam exseruit. Tum autem dolor eo fortius regionem læsioni vicinam aggreditur, prout gan-

græna augetur. Sunt tamen in his cruciatibus gradus, qui, ut reliquæ dissimiles nervorum affectiones, naturam gangrænæ adeo parum mutare videntur, ut jam cum horribili dolore, jam sine ullo, gangræna observetur siccissima, atque etiam gangræna humida jam cum dolore præcedaneo, jam cum stupore & sensationis deperditione ingruat. Ejusmodi variationes a subjectorum variis constitutionibus multum pendent, & præcipue in gangræna senili y) & quæ frumentis vitiatis debet originem, occurrit. Dolor tamen communissime major esse solet in sicco quam in humido sphacelo, qui sensum nervorum humoribus adfluentibus ac prementibus magis hebetat.

Vera inter gangrænam siccam & humidam differentia in eo consistit, quod aut circulatio in vasis perfecte intercipitur & cohibetur, aut humores libere irruunt, sed difficilius iterum reducuntur, unde vasa destruuntur tandem, vel ad humores superfluos propellendos inepta redduntur. Hinc in gangræna sicca exarescit pars affecta, hinc sanguis non erumpit, si in parte propiore, quæ sana videtur, fit incisio, vel si effluit, fuscus est & coagulatus. In humida vero æger velut suffocatur humoribus, qui tandem, stagnantes & putridi quasi, per contagium mortificationem propagant, atque totam humorum massam ita sæpe solvunt, ut per leviores scarificationes oriatur hæmorrhagiæ, ægre haud raro sistendæ. Gradus interceptionis humorum veram inter omnes tres gangrænæ species efficit differentiam, & ratio hujus in natura & indole causæ, gangrænam in corpore efficientis, delitescit.

### §. 7.

Si causam primariam semper perspiceremus ejusque diverso modo & diversa efficacia agentes qualitates, &

unam

y) POTT *Chirurgical Observations*.

unamquamque caussarum speciem ab aliis per certas distingvere possemus notas, minori sæpe difficultate malum hoc depascens præcaveremus. Videmus quidem pro diversa indole caussarum remotiorum etiam variari phænomena, atque hæc ab illis aliqua ex parte dependere; sed quomodo unaquæque agat, imperfecta modo novimus experientia. In febribus malignis partes sæpe sine prægressa inflammatione gangrænam concipere, & febrem jam velut critice cum gangræna desinere, jam malignos & late serpentes ac depascentes carbunculos atque anthraces, vel cum acri præcedente inflammatione, vel repente, sine præviis violentioribus symptomatibus, generare experientia docet. Ex venenis quibusdam, animalium morfu vel ictu in corpus introductis, & suis symptomatibus illa referentibus, quæ post læsiones partium nervosarum exsurgunt, gangrænam sæpe oriri, scimus. Homines mali habitus, pallidi, scorbutici, arthritici, lue venerea, & fluore albo laborantes a levi sæpe inflammatione gangræna corripuntur. Post dysenteriam pluresque morbos exanthematicos, male curatos, seu, qui humores vitiant, una vel altera pars gangræna infestatur; & inflammationes, ab impuritatibus putridis primarum viarum ortas, in gangrænam facile abire, sæpius est observatum. Inflammationem erysipelatofam, quæ minus videri poterat adferre periculi, & in qua cutis colorem vix mutavit, sed pars adfecta frigore singulari & soliditate, illi, quæ in inflammationibus observatur dissimili, conjuncta insensibilitateprehenditur, gangrænam aliquando generare; atque singularem erysipelatis speciem cum tumore latius extenso, gangrænosas formare phlyctenas latius serpentes, constat. In ætate etiam longius provec̃ta ex causa leviori hoc malum sæpe oboriri, atque impeditas evacuationes eundem sæpe præstare effectum observarunt Medici. Tales gangrænae, præter senilem, magis superficiem vastant, quam

profundiora, & ad mixtas plerumque referri merentur. Sed cujus indolis sint acredines, quæ talem habent effectum, an omnes principio primario consentiant, atque eodem modo agant, vel etiam, licet diversæ, tamen idem præstent, & quomodo in primordiis præcaveri, cohiberi aut sopiri possint, nondum dilucide ostensum, quamvis ad curationem feliciter instituendam hoc maxime foret necessarium. Gangræna certe non est contagium speciale, sed omnia plerumque hanc domandi remedia nihil profunt, nec antea sistitur gangræna, quam causa efficiens exhausta fuerit ac remota. Natura insuper magistra discimus, causas interdum esse complicatas, ut causa principalis simplex admodum esse possit, sed accessoriæ, quales sunt diarrhoea, pressio levior externa, mæstitia &c. prioris maxime augeant efficaciam. Idem de gangræna senili valet, ubi atonia vel rigiditas plerumque primaria est causa, sed accessoria, sæpe levis, ut levior contusio, materia arthritica congesta, illam reddit validiorem. Decubitus dorsalis continuus per se necrosin causari potest sacri ossis, coxarum, scapularum, sed per irritationem sæpissime adjicitur acris quædam materia, aut aliæ immiscentur causæ accessoriæ, quæ statum reddunt deteriolem.

## §. 8.

Causa ejusque agendi ratione dijudicata, cuncta Medico cognitu & paratu sunt faciliora. Sic e. g. gangrænam videri esse metuendam, ubi excrementa quædam, os excretum, aut aliud quodcunque impedimentum majores vasorum, ut venarum & arteriarum ductus occludit & nervos comprimit, vel etiam vasa ipsa in protracta ætate ossæam induunt indolem: ubi infiltratio lymphæ in tela cellulari tonum vasorum plane exstingvit: ubi per contusiones violentas organisatio aliqua ex parte est destructa: ubi majori aut minori vasorum & fibrarum ir-

rita-

ritatione copiosior humorum procuratur affluxus, sed huic non proportione debita respondet effluxus, atque ideo vita membri effocatur. Fit hoc ultimum in primis per contusiones minus violentas, per divulsiones partium mollium, punctiones & imperfectas incisiones tendinum & expansionum tendinearum, per continuam irritationem sensibilibus partium, aut nervorum imperfectas læsiones, spasticas constrictiones promoventes. Porro, gangrænam facile generari constat, ubi inflammatio ad summum evehitur fastigium: (quæ species tamen rarissima esse videtur, cum malignitas quædam in inflammatione delitescat, quando in gangrænam abit:) item, ubi per nimium caloris aut frigoris gradum vitalitas turbatur & destruitur; aut denique labe humorum putrida corpus corripitur. In his enim casibus vis oscillatoria vasorum nimium intenditur aut relaxatur, ut tandem prorsus agere desinat. Impedimenta vero & causæ enumeratæ rite cognitæ minori difficultate removeri possunt, ita ut vitam saltem servare Medicus valeat, si molesta læsionis vestigia vitari nequeunt.

## §. 9.

Nec minus consultum foret singularium quorundam phænomenorum nosse causam; ex. gr. cur necrosis in uno individuo rapidissimum habeat progressum & cursum patientissimum intra nycthemeron absolvat, cum tamen causa specialis, tam vehementer agens, detegi nequeat, in alio autem non intra annum figatur & incrementum sistat tardissimum: cur in nonnullis constrictionibus partium nervosarum gangræne singulari velocitate progrediantur, sed sine multa in parte morbida intumescencia & commutatione coloris, ut caro tantum pallidior evadat & ferrositate saniosa penetretur; quomodo locum mutare gangræna possit, e. g. a brachiis ad crura & sic porro: qui fiat, ut gangræna jam sine prævia inflammatione oriatur, jam in-

inflammatio pro effectu gangrænæ haberi queat: quæ ratio sit gangrænæ, quæ interdum epidemice grassari observatur: quomodo inflammationes membranarum ossium, nisi mature discendantur, suppurationes excitare possint gangrænosas: unde eveniat, quod gangræna senilis, partes carnosas corripens, multo velocius serpat, quam ubi cutis tantum infestatur: quænam ratio sit, cur gangræna, antequam latius divagata fuerit, aut partem vitæ necessariam occupaverit, aut febrem excitaverit, subito mortem interdum adferat. Sed quis hæc omnia sufficienter explicet?

## §. 10.

Ex allatis constat, multa, quæ ad cognitionem gangrænæ pertinent, adhuc ignorari, & valde periculosum esse in Prognosi aut Cura morbi hujus certam sibi constituere regulam, aut normam ubique imitandam. Quod vero dudum novimus, egregium nobis adfert usum, cum doceat, non in omni gangræna pari modo esse procedendum, neque ab uno eodemque remedio, ceteroquin optimo, in omni casu eundem effectum expectandum. Pro varietate enim causarum methodus curandi variare debet. Didicimus e. gr. in gangræna, quæ senes haud raro invadit, Opium singularem prodere efficaciam: sed frustra tamen hoc intempestive utimur medicamento, ubi atonia perfecta, vel strictura, seu exarescentia vasorum in causa est. In gangræna vero, ubi acedo quædam irritat nervos, illud remedium omnino est validum. Sed ubi nervi ob torporem & stuporem affligi videntur ad Valerianam, Sal volatile cornu cervi, Arnica, Theriacam, Vinum, Vesicatoria & reliqua similia confugimus. Cortex Chinæ heroicis plane medicamentis adversus gangrænam merito adnumeratur, quia humores corrigit, putredini efficaciter resistit & vires firmat; atque in eundem finem Arnicæ radix & Serpentina virginiana vim suam

suam ostenderent; sed in summo inflammationis gradu, ad gangrænam præcavendam minime chinæ corticem porrigendum existimo. Arque etiam, ubi causa est localis, ubi in loco affecto irritatio continua, fibras crispans & humores jugiter alliciens, nulla vero humorum putredo adest, ubi gangræna localis ab externa causa in corpore sano exorta est, ubi gradum jam sistit & linea separationis valde est inflammata, ubi denique febris inflammatoria gangrænae est adnexa, malum potius quam bonum china præstat effectum. In gangrænis cito augefcentibus raro etiam china prodesse solet. Dantur tamen casus, ubi china in initio quidem foret noxia, sed sub decursu morbi, ob putrilagine absorptam, sit necessaria.

In gangrænis, quæ criticæ existimari possunt, utpote post febres accedentes, aut ab acredine quadam universali, sed certo jam loco quasi fixa, exortis, aut post contusiones exardescens, frustra id agitur, ut sistantur, antequam causa removeretur, & pars adfecta destruitur. Unicum commodum inde sperandum, quod partes adhuc sanæ servari forte possint, ne absorpta putrilagine citius infestentur, atque ita propagatio per contagium præcaveatur. Præmaturas interim amputationes & ad carnem usque vivam scarificationes nihil prodesse, plurimum vero sæpissime nocere deprehendimus. Si expectamus donec natura per suppurationem limites inter viva & mortua definiverit, & putredinem inde metuendam antiseptici impedire studemus, tutiorem utique ad curam absolvendam eligimus viam. Legantur pulcerrimæ circa amputationem cautelæ ab Ill. RICHTER traditæ <sup>z)</sup>.

Scarificationes in mortua carne tamen nequaquam rejicimus, sed utilissimas judicamus, quum humoribus congestis per has via emanandi conceditur, tumor in gangræna humida

D

im.

<sup>z)</sup> Chirurg. Biblioth. T. IV, V. Item Anfangsgründe der Wund-  
arzneykunst, B. I, p. 79 & seq.

imminuitur, putredo, odor teter, atque periculum contagii & absorptionis præcavetur. Præterea sic remedia antiputredinosa adplicata efficacius agunt. Hac vero in illis instituendis cautione opus est, ne in carnem vivam penetrent, utpote quæ denudata citius corrumpitur, & absorptio putridi promovetur. In gangræna humida scarificationes magis sunt necessariae, quam in sicca, atque etiam in profunda magis, quam in superficiali. Ubi vero adjacentia vehementiori infestantur inflammatione, scarificatio commoda esse nequit, cum per hanc facile quod adhuc sanum est irritari possit, & remedia penetrantiora, externe adhibita, suam vehementius exferere vim irritandi.

## §. 11.

In remediis externis eligendis non sufficiens in præxi delectus videtur adhiberi. Plerique hoc unum intendere videntur, ut parti robur addant, putrescentiæ resistant, & in parte certo gradu mortificata, aliquam, si fieri possit, vitam revocent. Habemus hunc in finem remedia efficacissima, nempe amara, adstringentia, aromatica, spirituosæ, quædam salia & acria. Sed hæc in certis casibus, quantumvis utilia, maximam tamen perniciem adferunt, quando specialis quædam acredo, quæ gangrænam attulit & vitium aliquod locale, cujuscunque sit indolis, perpetuam in loco efficiunt irritationem, vel circa locum jam emortuum viva admodum inflammatio existit, quæ partem constanter vellicat. In hac certe rerum conditione emollientia, relaxantia & suppurationem promoventia exoptatiorem præstabunt effectum.

## §. 12.

Ubi vero status talis est, qualem casus indicat a nobis allatus, in quo quidem arthritica, rheumatica & scorbutica labe contaminatis prius humoribus, acredo quædam specialis accessit, quæ, metastatice ad scrotum delata, suffocantem effecit irritationem, sed nihilominus  
a sym-

A. Eccombe  
I Pip

a symptomatibus, qualitate læsionis & reliqua ægrotantis conditione, vis vitalis magis deficiens, quam abundans deprehenditur, remedia utique hæc adhibita, quæ multiplici modo variari possunt, non negligi debent. In suppuratione copiosa, ne colliquescat nimis cellulosa, arida & in forma pulveris, parciori autem potius in forma pultis adplicari debent. Novimus præterea chinam, scorbutica & rheumatica acredine humores contaminatos corrigere, eorumque deleterium effectum impedire.

## §. 13.

Suppuratio, qua caro vita destituta ab adhuc sana separatur, promoveri omnino debet; quod tutissime efficitur, si vis vitæ in parte affecta justo servatur gradu, ut nec intensa nimium sit, nec debilitata. Obtinetur hoc modo supra indagato, rarius autem unguentis, quia pingvia in plerisque gangrænæ casibus nocent. Id præterea, quod in primis intendimus, non æque bene præstare videntur, ac alia relaxantia, sed gangrænæ in molli cellulosa incrementum promovent, & suppurationem magis putridam reddunt atque acrem. Cernebatur hoc manifesto in ægro hoc Upsaliensi, & idem alii in gangrænæ partium membranarum dudum observarunt.

Singulares hæc purulenta & semiputrida suppuratio habet proprietates. Facile perspicitur ejusdem origo, quum pus e vasis sanis excretum, putridis misceatur particulis, in parte mortificata condensatis: sed difficilius forte percipitur, quod, quum alias nihil magis sanationem ulceris impediatur, quam mala & requisitis necessariis non prædita suppuratio, in sphacelo, putrida licet eadem sit, & ulcus impurum, sanatio tamen illius clanculum peragatur. Non quidem nos fugit, aliis idem phænomenon, maxime singulare, visum fuisse, sed in paucis forte casibus, cum suppuratio, adhibitis licet remediis efficacissimis, corrigi non posset, & ulcus neque in marginibus,  
ne-

neque in fundo indolem reciperet ulceri sanando adcommodatum, minor affulsit spes perfectæ restitutionis. Sed natura, si operationibus ejus non resistimus, etiam opinione omnium celerius ad scopum sæpe pertingit propositum.

Neque reticendum, quod per sex septimanas testes scroto nudati erant, atque ab initio etiam tumentes, sed nihilofecius, ab aëris accessu nullum contrahentes damnum, pristinam iterum recuperarunt formam. Resistunt igitur putredini efficacius, quam communiter creditur, atque etiam correpti, malo iterum liberantur. Itaque extirpatio eorum præmatura in tali morbo, sub spe celerioris sanationis, sufficienti ratione per casus allegatos rejicitur.

A peripheria ad centrum, æque ac in aliis ulceribus procedebat sanatio, quæ prolongationi marginum prioris cutis eo minus tribui potest, quod scrotum renatum priori parem haberet formam & magnitudinem, itemque rugis transversalibus, mediastino & futura intermedia esset munitum, nec testibus adhæreret, nec materiam referret callosam interjectam & cicatricem. Corrugebatur etiam scrotum novum, admissio frigore, ut alias solet. Cicatrix præterea minimam effecit novi sacci partem, mollisque fuit & æqualis, quamvis labia ulceris, dum primum coirent, dura essent & aspera. Pili non repullularunt, quia ætatem, qua generantur, æger transigerat.

Sic vero novum habemus specimen resorptæ in corpus scabiei, quæ tristem prodit effectum, atque etiam documentum novum luculentissimum, vim naturæ reproductricem, partes a tela cellulari conformatas a destructione restituentem, confirmans.

Vijc